

sese tueatur; alioquin citatus cessante justa causa non comparens, ad instantiam alterius partis potest declarari, et puniri ut contumax, cap. ult. *Ut lite non contestat.* cum similibus. Vallensis tit. *de Foro compet.* § 5, n. 1, Gailus lib. I, *Pract.* observat. 51, n. 8, et alii.

100. *Judex non potest aliquem declarare contumacem, nisi ad petitionem partis.* — Additur notanter, « ad instantiam alterius partis. » Siquidem judex officium suum impertiri non debet, nisi postuletur, præsertim, si de facto et non de jure controvertatur, ut l. *Dies.* § *Hoc autem.* ff. *de Damno infecto*: sicque non potest judex ex officio decernere proclama contra contumacem, declarando videlicet ipsum contumacem, sed dumtaxat ad instantiam et petitionem alterius partis, arg. l. *Properandum.* § *Et si quidem*; et notat Jason ibid. n. 3, C. *de Judiciis*, et Auth. *Qui semel*, et ibi Bartolus, n. 1, C. *de Temporib. appellat.* Maranta, part. VI *Speculi aurei*, tit. *de Contumacia*, n. 15; Gailus lib. I *Practic.* observat. 55, n. 3, et alii.

101. *Hoc declaratur, ac limitatur.* — Intellege, quod non possit judex, nisi parte instante, procedere contra citatum non venientem, quantum ad hoc, ut valeat istum condemnare tanquam contumacem, aut mittere adversarium in possessionem honorum contumacis, et hujusmodi: secus, quoad alios effectus, qui vel non respiciunt jus adversarii, vel ipso jure inducuntur a lege, aut statuto. Unde si ex forma statuti cujuscumque contumax habeatur pro confesso et convicto, quantum ad obtinendum hunc effectum non requiritur, ut pars præsens accuset alterius contumaciam, et instet Jason in d. l. *Properandum.* § *Et si quidem*, n. 7, C. *de Judic.* Maranta cit. n. 15 in *Additione*, et alii. Item potest judex citatum, et contumaciter absentem, ob commissam erga se inobedientiam mulctare, etiam altera parte non petente l. *Ex quacumque.* ff. *Si quis in jus vocatus*, etc.; et amplius dicitur infra tit. XIV, *de Dolo et contumacia*. n. 66 et 67, et n. 134, ac seqq.

102. *Condemnari ut contumax, quando quis possit?* — Quinimo non illico ad unam legitimam citationem non comparens, poterit instante altera parte condemnari ut contumax; sed requiritur vel trina citatio, justo temporis intervallo interposito facta, vel saltem una peremptoria, continens tantum temporis spatium, quantum continere deberent alie tres simplices. Textus est in can. *De illicita.*

§ *Quicumque.* 24, q. 3, et l. *Ad peremptorium*, ac seqq. ff. *de Judiciis*, juncta l. *Properandum.* § *Et si quidem.* C. eod. et Auth. *Qui semel.* C. *Quomodo et quando*, etc. Quanquam de hoc ipso uberius restet dicendum infra tit. VIII *de Dilationibus.* § 2, n. 26, et seqq. et tit. XIV *de Dolo et contumacia*; § 4, n. 107, et seqq.

103. *Citatio peremptoria debet continere clausulam, peremptorie; et an fieri possit sine causa?* — Solum adde, quod in citatione peremptoria necessario exprimi debeat clausula illa, *peremptorie*: quatenus hac ratione intelligere possit citatus sibi non esse licitum aliam adhuc citationem expectare. Et quamvis unica citatio peremptoria non nisi ex justa causa fieri debeat, v. g. ob distantiam viarum; ut c. *Tum ex litteris.* § fin. *De in integr. restitut.*, et cap. ult. juncta Glossa § *Peremptorium de dilationibus.*, tamen valere citationem peremptoriam etiam sine causa alia urgente, recte notat Abbas cit. cap. ult. n. 9, *de Dilation.*, et sequitur Vallensis eod. tit. n. 7. Siquidem peremptorium habens competentia intervalla, regulariter æquiparatur trinæ citationi, l. *Contumacia.* ff. *de Re judicat.*, et l. *Tres denuntiationes.* C. *Quomodo et quando judex*, etc. Simulque unica peremptoria citatus non potest juste conqueri propter hoc, eo quod ipsi adhuc tempus competens concedatur, et tale quale per trinam citationem concedi deberet.

104. *Citatio inducit præventionem inter plures judices.* — Alter effectus citationis est, quod inducat præventionem inter plures judices, sive delegatos, sive ordinarios, habentes concurrentem jurisdictionem in solidum. Siquidem in causis mixti fori, vel quando earum cognitio concurrenter potest competere diversis judicibus, citatio ab uno horum facta ita arctat citatum (dummodo ad hunc pervenerit citatio) ut is, veluti citatione præventus, teneatur coram judice illo citante causam prosecui; non obstante, quod forsitan post citationem mutavit forum, atque ulterius jurisdictionis esse ceperit, c. *Proposuisti.* 19, *de Foro compet.* juncta l. *Si quis postea.* ff. *de Judiciis*, estque amplius dictum supra tit. II, *De Foro competenti.* § 8, n. 168, et seqq.

105. *Ac perpetuationem jurisdictionis respectu delegati.* — Tertius citationis effectus est perpetuatio jurisdictionis respectu judicis delegati; ita videlicet, quod superveniente morte delegantis non expiret jurisdictio delegati, c. *Gratum.* 20, *de Offic. delegati.*

Porro ad perpetuandam jurisdictionem delegati (sicut et ad inducendam litispendentiam, et præventionem) sufficit prima citatio, et non necessario debet esse trina; juxta Glossam in Clem. 1. § *Citationes; de Judiciis*, et tenent communiter doctores apud Abbatem in cit. c. *Proposuisti*, n. 9, *de Foro compet.*

106. *Etiam si nondum ante obitum delegatus pervenerit ad notitiam citati.* — Addit Abbas in Clem. 2, n. 6. *Ut lite pendente*, et c. et Gailus, l. I. *Pract.* observat. 74, n. 19. post Rotam, decis. 3, tit. *de Dolo et contum.* in antiq. per solam citationem a delegato emissam, quamvis nondum ante obitum delegantis ad notitiam citati pervenerit, jam perpetuari jurisdictionem delegati. Et merito: quia delegatus emittendo citationem, jam cepit uti sua jurisdictione; et consequenter censetur perpetuata sua jurisdictio, arg. c. *Licet.* 30, et c. *Gratum*, 20, juncta Glossa, § *Quasi ceptum de Offic. delegati*, estque amplius dictum, l. I. tit. III. *de Rescriptis.* § 10, n. 241 et seqq., solvendo contraria.

107. *Citatio inducit litispendentiam, postquam tamen ad partem citatam pervenerit.* — Quarto, citatio a judice competenti emanata inducit litispendentiam, postquam tamen ad partem citatam pervenerit, vel per eam factum fuerit, quominus ad ejus notitiam perveniret. Textus est in Clem. 2. *Ut lite pendente*, etc., ubi proin Glossa, § *Ad partem*, et Abbas, n. 6. advertunt, quod licet quoad perpetuandam jurisdictionem sufficiat, citationem emanasse a judice delegato, ut proxime dictum: tamen quoad inducendam litispendentiam, atque ad eum effectum, ut lite pendente nihil innovari possit, non sufficiat emanasse citationem; sed ulterius requiratur, quod pervenerit ad partem citatam, per textum ibidem.

108. *Facitque rem litigiosam.* — Quinto, citatio facit rem litigiosam; ita, ut post interpositam legitime citationem, prohibita sit alienatio rei illius, super qua oritur controversia. Auth. *Litigiosa res.* C. *de Litigiosis*, estque jam dictum supra, tit. I. *de Judiciis.* § 1, n. 23.

109. *Ac interrumpit præscriptionem odiosam.* — Sexto, per solam citationem interrumpitur præscriptio odiosa; nempe ea, quæ est inducta in odium negligentis, seu non repetentis rem suam tempore debito: ut est præscriptio longissimi temporis, seu triginta, vel quadraginta annorum, quæ cum bona fide, etiam sine titulo, currit contra

sic negligentes. Nam quia per citationem, ad petitionem partis antea negligentis factam a judice, cessat dicta negligentia; merito per ipsam interrumpitur ejusmodi præscriptio odiosa, arg. l. *Sicut in rem*, juncta Glossa, § *Per executorem.* C. *de Præscript.* triginta vel quadraginta annorum; Abbas, in c. *Illud autem*, n. 13, *de Præscript.*; Gailus, cit. observat. 74, n. 20, et alii, estque jam dictum supra cit. tit. I, n. 21.

110. *Citatio invalida nullum de se producit effectum.* Quæritur IV. An etiam citatio invalida quosdam habeat effectus? Resp. cum communi: Citatio invalida nullum de se producit effectum, neque constituit aliquem in mora, nec citatum astringit ad comparandum. Ita clare habetur ex Clem. *Causam.* § fin. *de Election.*, ibi: « Intimatio vero aliter facta omni careat juris effectum: » juncto cap. ult. *de Feriis.* Nam paria sunt, aliquid non fieri, et minus legitime fieri, l. *Quoties.* ff. *Qui satisdare cogantur*, cum concordantiis ibidem a Glossa relatis.

111. *Convalidatur tamen per comparisonem citati.* — Additur notanter, « nullum de se producit effectum » Nam, si post factam illegitimam citationem ultro citatus compareat, convalidatur citatio per comparisonem, ac perinde arctat citatum, sicut citatio legitima. Ita Vallensis tit. *de Foro compet.* § 5, n. 5.; Jason, l. *Ne quis messium*, n. 2, ff. *de Feriis*, id probans per textum ibidem: « Hicque sponte consentiant. » Maranta, part. VI. *Speculi aurei*, tit. *de Citatione.* n. 73; Gailus, d. l. I. *Practic.* observat. 58, n. 1, citans alios. Accedit ratio: quia sola præsentia partis absque alia citatione sufficit, ut processus atque sententia judicis valeat, arg. l. *De unoquoque.* ff. *de Re judicat.* Siquidem præsens regulariter citari non debet, cum effectus citationis sit comparitio: neque citatio est de substantia litis, quando pars est præsens, ut dictum supra § præc., n. 69.

112. *Adeo, ut nulliter citatus, et comparens, non possit amplius excipere contra nullitatem citationis.* — Et hinc nulliter citatus, quamvis comparere non teneatur, si tamen comparuerit, non amplius excipere potest contra nullitatem executionis citationis (hæc enim per comparisonem jam fuit convalidata), sed tenetur respondere libello, vel terminum ad comparandum petere. Gailus, cit. observat. 58, n. 1. Notanter dicitur, « contra nullitatem executionis citationis, » quasi nimirum hæc non rite facta, ac proin invalida

sit : nam contra incompetentiam judicis excipere quis non prohibetur, si habeat aliunde justam causam declinandam forum.

TITULUS IV.

De Mutuis Petitionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Intellecta actoris petitione ex libello per ipsum judicem, et per hunc reo oblato, si quid vicissim reus putet sibi ab actore deberi, id proponere poterit reconveniendo actorem: quod quidem fieri solet per « mutuas (ut hic loquitur pontifex) petitiones, » sive « per mutuas actiones, » ut dicitur l. *Si idem.* ff. de *Jurisd. omn. judic.* In quo casu cum libelli ex utraque parte porrigantur, merito præsens rubrica subjicitur præcedenti, quæ fuit *De libelli oblatione.*

§ I.

DE MUTUIS PETITIONIBUS, IPSAQUE RECONVENTIONE, GENERATIVIM.

2. *Mutue petitiones, quid?* — Quæritur I. Quid sint, et coram quo fieri debeant mutue petitiones? Resp. I. Mutue petitiones aliud non sunt, quam conventio ex parte actoris, et reconventio ex parte rei. Ita Abbas ad rubricam h. t. Siquidem reconventio est secunda conventio, sive reciproca petitio, quæ videlicet reus viso actoris libello, vicissim aliquid ab ea petit: sicque interveniant duæ petitiones, quas appellant mutuas petitiones, hoc est reciprocas.

3. *Reus conventus non cogitur reconvenire actorem.* Resp. II. Quamvis reus conventus non cogatur reconvenire actorem, si tamen ipsum reconvenire velit, tenetur hoc facere coram eodem iudice. Ita communis. Et quidem prima pars patet ex l. un. C. *Ut nemo invitus, etc., etc.,* ubi dicitur, quod invitus agere, vel accusare nemo cogatur. Atqui reconventio spectat ad actiones, arg. c. *Cum inter.* § fin. de *Exception.* Proinde si quis reconvenire noluerit, expectet terminum primæ litis, eaque finita adversarium suum conveniat; idque vel coram eodem, vel coram alio competenti iudice.

4. *Si tamen vult, tenetur eum reconvenire*

coram eodem iudice? — Altera pars est Abbatis in cap. 1, n. 27, et Barbosa eod. cap. 1, n. 2, h. t. et aliorum, juncto textu ibidem, dum iudex, etiam delegatus, jubetur compellere actorem ad respondendum reo in causa reconventionis, atque utramque causam vicissim audire. Concordat cap. 11, eod. ibi: « Et reus coram eodem iudice actorem reconvenit. » Item, et adhuc clarius, Auth. *Et consequenter. C. de Sentent. et interlocut. omn. Judic.,* expresse statuitur, quod is, qui reconvenire vult, non possit, nisi coram eodem iudice, et statim, reconvenire: si vero iste displiceat, debeat ipse recusari (dummodo subsit justa causa recusandi) vel expectandus sit terminus primæ litis, quæ prius ventilata et discussa, tum demum alter admittatur. Accedit ratio, in lumine naturali fundata: tum ne in calumniosa rei potestate sit, actorem ad diversos iudices trahere, sicque ejus actionem eludere, l. *Si idem.* § *Quod si,* ff. de *Jurisdic. omn. judic.;* tum ne causæ continentia dividatur; simulque ut hac ratione facilius citiusque lites dirimantur, sicque consulatur publicæ quieti: nam iudex, etiam delegatus, tunc utramque causam, tam conventionis scilicet, quam reconventionis, ordine successivo simul audire, atque una sententia terminare debet, cit. cap. 1, h. t. amplius declarabitur infra § 3, n. 45, et seqq.

5. *Nequit actor, quoad reconventionem, ubi ea locum habet, se ulla fori incompetentis exceptione tueri.* — Resp. III. Nequit actor quoad reconventionem, ubi ea locum habet, se ulla fori incompetentis exceptione tueri, quominus, si a reo reconveniat, coram eodem iudice respondere teneatur. Ita Vallensis, h. t. § 4, n. 3; Sannig. h. t. cap. 1, n. 4, et alii, atque habetur in l. *Cum Papinianus.* juncta cit. Auth. *Et consequenter. C. de Sentent. et interlocut. omn. judic.,* estque canonizata in can. *Accusatores.* 3, q. 8, addita hac ratione: « Cujus in agendo quis observat arbitrium cum habere etiam contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur. » Concordat textus in l. *Qui non cogitur,* 22, ff. de *Judiciis,* ibi: « Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, et ad eundem iudicem mitti. » Verum tamen ista procedunt dumtaxat in illis casibus, in quibus reconventio locum habet: hanc enim non ubique locum habere, illico dicitur. Unde

6. *Reconventio generativim, in quibus causis*

locum habeat? — Quæritur II. An in omnibus reus causis locum habeat reconventio? Resp. negative. Licet enim generativim loquendo in omnibus causis locum habeat reconventio, ubi non repugnat qualitas causæ, aut non reperitur specialis in jure prohibitio; nihilominus sunt quædam exceptæ.

7. *Ea non habet locum in causis criminalibus criminaliter motis.* — Et primo quidem in causis criminalibus criminaliter motis non habet locum reconventio: Siquidem « non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur, » ut dicitur in l. *Is qui reus.* ff. de *Publicis judiciis.* Quinimo pendente accusatione non potest accusatus, nisi prius se purgaverit, alios accusare de pari vel minori crimine, quando non suas, vel suorum injurias persequitur, l. *Neganda. C. De iis, qui accusare non poss.,* estque canonizata in can. 1 et 2, caus. 3, q. 11.

8. *Secus, ubi mere civiliter proceditur.* — Quod si vero mere civiliter procedatur, recte admittitur reconventio civiliter de crimine: quia tunc nihil impedit. Abbas in cap. 1, n. 22, h. t.; Vallensis eod. § 2, n. 3; Maranta, part. IV. *Speculi aurei,* dist. 6, n. 68; Sannig. h. t. cap. 11, n. 3, et alii.

9. *Insuper reconventio non habet locum in causis executivis.* — Deinde secundo reconventio non habet locum in causis executivis; hoc est, in illis, quæ paratam habent executionem. Sic compensatio, sive reconventio, locum non habet in deposito, cap. ult. de *Deposito,* et l. *Si quis vel pecunias. C. Depositi.* Item, quando petitur executio instrumenti confessionati: quia habet vim sententiæ, atque paratam executionem. Vallensis, h. t. § 2, n. 4; Maranta, part. IV. *Speculi aurei,* dist. 6, n. 39, citans Baldum in Auth. *Et consequenter.* Item in causa spoli: nam spoliatus ante omnia restituendus est, et si eum spoliator conveniat, non tenetur huic respondere ante factam sibi restitutionem spoli, c. *Super spoliatione. de Ordine cognit.* Addit Barbosa in cap. 1, n. 8, h. t. etiam in actione de dote reconventionem non admitti.

10. *Nec in causa appellationis. Intellige de appellatione judiciali: secus in extrajudiciali.* — Tertio, ulterius reconventio non habet locum in causa appellationis, arg. l. I. ff. *Eum, qui appellaverit,* etc. Siquidem in causa appellationis cessat ratio, quæ in l. *Cum Papinianus,* n. 5 allegata, refertur; quia iudex appellationis non ex mero arbitrio, sed ex necessitate aditur, videlicet propter gra-

vamen, quod appellans sibi putat injuste illatam. Hoc tamen intellige de appellatione judiciali: nam quando appellatur extrajudicialiter, admittitur reconventio: quia tunc iudex principaliter, atque ex proprio arbitrio aditur. Speculator, tit. de *Reconventione.* § *Nunc dicamus.* n. 6, Abbas, cap. 1, n. 31, h. t.; Maranta cit. dist. 6, n. 27; Pirhing, h. t. n. 16, et alii.

11. *Reconventio etiam locum non habet, ubi qualitas causæ eidem repugnat. Ut si una causa sit liquida, altera illiquida.* — Quarto, non habet locum reconventio, ubi natura seu qualitas causæ reconventioni repugnat: ut si ab una parte debitum sit liquidum, ab altera vero non liquidum. Debet enim vel utraque causa esse liquida, vel utraque illiquida: siquidem reconventio non magis est admittenda, quam compensatio, cum qua habet affinitatem; hæc autem non admittitur, nisi in debitis ejusdem qualitatis. Accedit, quod cæteroquin alteri parti, cujus causa est liquida, manifesta fieret injuria, si decisio suæ causæ liquidæ retardaretur propter causam reconventionis ab altero propositam, quæ illiquida est, longiorique indiget discussione. Zoesius, n. 9, h. t., et concordant illico dicenda num. seq.

12. *Vel ubi causa conventionis est summaria, altera ordinaria: quod tamen limitatur.* — Deinde, quamvis, si utraque causa sit summaria, non dubitetur, quin locus sit reconventioni, cum simul tractari valeant. Abbas cap. 1, n. 18, h. t.; Bartolus in Auth. *Et consequenter.* § *Juxta hoc quæro. C. de Sentent. et interlocut. omn. judic.* Nihilominus quando causa conventionis est summaria, non habet locum reconventio causæ ordinariæ, seu requirentis processum plenarium, sive ordinarium, Joan. Andreas in cap. 1, n. 3, §. *Illud autem notandum.* h. t. Speculator, ubi supra, n. 11; card. Tuschus, lit. R. concl. 61, n. 9, citans Socinum, regul. I. *Reconventio actoris.* in 3, fallent. Ratio est, quia alioquin pariter magna inferretur injuria actori, dum causa principalis per ipsum summarie intentata et claritatem requirens, ad longum suspenderet ob processum plenarium in reconventionem ordinariam observandum. Nisi dicere velis cum Abbate in dic. cap. 1, n. 19, h. t., quod tunc causa reconventionis trahatur ad naturam causæ conventionis, arg. c. *Prudentiam.* h. t. adeoque ubi ista est summaria, etiam causa reconventionis sit summariter expedienda. Vel cum Bartolo, loc. cit. et Sannig